

5
DE
CONJECTANDIS
HOMINUM PROPEN-
SIONIBUS EX STYLO,

AMPLISS. FACULTATIS PHI-
LOSOPHICÆ

consensu

DISPUTABUNT

P R Æ S E S

M. GOTTFRIED POLYCARPUS
MÜLLER, Stolb. Misn.

&

RESPONDENS

HENRICUS FRANCISCUS ZIPPFEL, Lips.

Phil. & Jur. Stud.

d. XI. April. An. MDCC XIII.

h. l. q. c.

L I P S I Æ,

LITTERIS KRUGERIANIS.

Philos.

C.

217,10

21

-2.1/6-

DE
COMPTABILITÄTIS


HONORARIUM PROPRIUM
SOMNIBUS EX STYLO

AMPARIS FACULTATIS
LITTEARUM

50

M. GOTTFRIED POLYCARPUS
MÜLLER, Schol. Min.

RESPONDENS
HENRICUS BRANSCHEUS NIPHELI, M.P.



LITTEARUM
LITTEARUM

177



DE
*CONFECTANDIS HOMINUM
PROPENSIONIBUS
EX STYLO.*

CAPUT. I.

Thema explicans & probans.

§. I.

Tantus in omni vita usus boni ornatique sermonis est, ut ejus studium non juvenes modò, sed & viros senesque occupaverit sæpissime; quibus demum datum videtur, sermonem, sive scriptum sive ore prolatum, in Reipublicæ expromere utilitatem. Veræ enim & solidioris, quàm vulgo circumfertur, eloquentiæ

4 DE CONJECTANDIS HOMINUM

tiae studium inter artes liberalissimas, partesque genuinae Philosophiae veteres sapientes retulerunt, ut rigidus alias philosophiae censor Lucianus natu jam grandior in styli elegantioris & eloquentiae exercitatione adhuc fuerit versatus, suamque industriam scripto Hercule Gallico (a) orbi erudito publice excusaverit. Quamvis vero hodie non ea sit amplius oratoris dignitas, quam aut Sophistae, rhetoricen professi, Socratis aetate statuerunt, aut forum Romanum, stante adhuc republica, (b) admisit; non tamen in illum detrusa locum est, ut crepundiis, viros non decentibus, accenseatur. Habet & inter nos suum pretium, imprimis si cum prudentia morum, quae insignem in eam influxum exserit, maritata, vim suam prodat paululum luculentius, id quod haec ipsa, quam molimur, de conjectandis ex stylo hominum propensionibus dissertatio testabitur. Componit haec invicem stylum & voluntatis inclinationes, nec intellectus variationes, ut exin & mentis & sermonis efficacia cernatur, omiffura.

§. II.

Conjectare (c) autem non demonstrare ex stylo propensiones animus est, cum principia quidem hujus artis certitudine

(a) *habet hic Praefationis locum scriptorum quorundam aliorum Luciani. v. Luciani opera, edit. Basil. T. I. p. 806. seqq.*

(b) *quod nimium elata a Sophistis, quantoque pretio a Cicerone habitata fuerit. v. in Herm. Conringii Libro de prudentia civili C. IV. tot.*

(c) *titulo dissertationis ansam dedit Scipio Clammontius, libro notissimo: de Conjectandis hominum moribus. Continet multas veritates, sed principia Aristotelica & Galenica saepius in causa fuerunt, ut autor in argumentis deducendis Andabatarum more aërem feriret.*

ne non careant, sed applicatio sæpe ex variarum concursu aut etiam ignorantia circumstantiarum hæreat anceps, & inter verosimilitudinis sese contineat terminos. Vivendi regulas, siue ad honestum justumque, siue ad utilitatem & decorem componantur, raro ignoramus evidentes, licet nobis applicantibus eadem ad facta singularia sæpe evidentia defit. Nec ideo politicam contemnimus, in principiis claram, quod in particularibus casibus multoties verosimilis ars fefellerit artificem, ut & nonnulli per sola proprie dicta experimenta rempublicam feliciter geri posse arbitrentur. Satius est conjectura, si certius non licet, propensiones, hoc est, voluntatis naturales & constantes in certa ejusdem objecta nisus, assequi, quam easdem in nobis aliisque loquentibus scribentibusque penitus ignorare. Uti enim ex his de moribus hominum reliquis facilis est collectio, ita non proprie cognitionem permotionum animi, quos vulgus affectus dicit, hoc loco quærimus, sed horum matrum, naturalium scilicet in scribente aut loquente inclinationum. Affectus sunt permotiones vehementiores propensionum in mente regnantium, sed transeuntes & temporariæ; propensiones autem à natura ipsa, insciis nobis ducimus, constantes & perpetuas, licet affectus exin emergentes emendari virtute & ad quandam vitæ harmoniam traduci queant. Quem autem vultum, sonum, gestum affectus orationi concilient, aliis, cum quibus conferendus Cicero (d) erit, penitus excutiendum relinquimus.

(d) de Oratore L. III. circa finem, ubi affectus in actione sese prodentes, & exin styli varietatem, eleganter exponit.

§. III.

Ejusmodi propensiones earumque variam mixturam frustra quis ex dissolutis scopis formularum fragmentorumque citra orationis contextum quæret, nisi continuum connexumque sermonem vel stylum velit introspicere. Faciem suam non integram sed laceram ac fissuris deformem aspiciet is, cui non integrum, sed fractum, aut ex fragmentis conjunctum adest speculum; neque cum speculo mentium, sermone, res aliter comparata deprehenditur. Stylum ergo hominum examinare debemus, hoc est, integri & continui sermonis collocatione rerum verborumque apte factam conexamque conformationem, quem veteres optimum præstantissimumque dicendi effectorem & magistrum pronunciarunt. Ex hujus qualitatibus & varietatibus (e) omne, quicquid ad nostram propensionum conjecturam facit, desumendum est, uti humilitas styli, gravitas, Hispanicus genius, sublimitas, profunditas, abjecta ratio, arida & deficiens, nec non abundans acumine & sententiis oratio, historicus, poëticus, oratorius, epistolicus genius diversitatem scriptorum internam non possunt non manifestare.

§. IV.

Atque methodum venandi ex his similibusque propensionum humanarum variationem sequens Caput, quantum fieri potest, clarius aperiet, ita tamen, ut parum referat, sive ex stylo scripto s. ore pronunciato conjecturarum quis fontes examinet. Equidem hoc singulare scriptura habet, ut ante

ocu-

(e) de stylo ejusque variatione commendandus vel maxime Schesferus de stylo, conf. Thomasius in Cautelis circa præcognita Jurisprudentia C. IX. §. 4-19. Et quod dixi in der Akademischen Klugheit P. I. Sect. I. c. III. §. 8. seqq.

oculos posita examinare commodius accuratiusque possit, cum viva oratio torrentis in modum præterlabatur. Majorem ut plurimum curam scriptis adhibemus, ut tornata sæpius oratio artificis sui aut aptitudinem aut ineptitudinem clarius loquatur: In eo interest multum ex quibus qualibusve scriptis conjecturam tuam instituas, quorum illa commendanda præ reliquis, ubi propensionum humanarum vis uberiolem sese prodendi habet occasionem, qualia dedicationes ac præfationes librorum, epistolæ familiares, Satyræ, controversiæ & disputationes, orationes & maxime poëmata inveniuntur. Obque tales commoditates imprimis ad stylum scriptum respiciendum esse fateor, quorsum etiam vel maxime tendimus, ex natura, varietate, defectibusque integri & connexi hominum styli, maxime scripti, hominum naturales ac habituales in voluntate dispositiones, probabili ut plurimum conjectura, licet principia theoretica certa sint, deducturi.

§. V.

Tanta est hujus artis veritas, ut nemini possit esse suspecta, nisi cui nunquam naturam humanæ mentis sermonisque habitum examinare & conferre contigit. Illam spectantes vim & efficaciam trium in volendo propensionum ignorare non possunt, quæ intellectus etiam operationes, meditationes, judicia, ordinem rerum verborumque, nec non omnium actionum internarum externarumque concentum flectunt & moderantur. (f) Voluntas enim humana nihil est, quam ni-

fus

(f) Qui efficaciam voluntatis in corpus & res externas capere nondum satis potest, conferat Georgii Ernesti Stablii Dissert. de passionibus animi corpus humanum varie alterantibus, Hala 1695. habitam, & de autocratia nature an. 1696. nec non de temperamentis an. 1697. ibid. disputatam.

fus ac conatus mentis, varias res intra aut extra mentem hominemque hoc vel illo modo expediendi, ut mentis cupiditati exin satisfiat, & exfaciatio quædam, sive vera s. imaginaria sit, consequatur. Hinc intellectus in suis facultatibus aut intensus aut remissus, quietus aut turbidus, nec non sapissime præjudiciis obrutus evadit; hinc ingenii, judicii, memoriæ aut excellentiores gradus, aut neglecta cultura minores inducuntur. Quod si in stylo harum propensionum experiri potentiam velis, proponas tibi modo, si voluptati deditus voluptuosum, si ambitioni ambitiosum, si avaritiæ sollicitum ejusmodi & confarcinatum stylum ad imitandum, & excitata propensione calamum alatum scribendo deprehendes, quem vix alias laboriosissimæ manus duxissent. Quid quod de Objectis nobis gratis scribentes statim accensa mente ferventius scribamus, aut affectu quodam, seria longaque imaginatione excitato, effervescentes furore quasi poëtico corripiamur, (g) cui se totus attemperat sermonis habitus. Respondent hac ratione certis propensionibus nexu naturali diversæ virium & imbecillitatum in cogitando variationes, hisque diversæ loquendi scribendiq; rationes, a quibus rursus, tanquam à re externa, ad internam mentis dispositionem, ipsis respondentem, jure meritoque concludimus. Tentarunt igitur ex propensionibus

(g) *ex hac imaginationis & affectus vehementia insolita, quæ in voluptuoso-melancholicis, si acrius stimulentur, oriri facilius potest, omne divinum Poeseos, ut Morhoff. Polyh. Litt. L. I. Cap. XII. loquitur, omnisque poeticus furor, cujus à fictis gentium oraculis ac inspirationibus orta est denominatio, derivari debet. Unde simul voluntatis potentia in meditando & loquendo sole clarius cernitur.*

bus tale quid colligere plurimi ex doctoribus morum recentioribus, ex quibus Thomafium & Buddeum (*b*) nominasse sufficiat; hoc loco enim gressu retrogrado ex styli diversis characteribus internas deprehendere propensiones laboramus quanquam res ipsæ coincidunt.

§. VI.

Avem plumæ hominem sermones notant distinguunt, quippe sermonis natura satis ostendit, quod mentis, & per consequens etiam voluntatis dispositiones exin elucescere necessario debeant. Est enim sermo in homine facultas mentis, internas perceptiones, volitiones ac ideas, formato ore & faucibus articulato sono, extrinsecus distincte significandi, ad societatem humanam apte instruendam conservandamque comparata. Stylus autem est sermonis continui habitus, & una cum omni sermone mentis ejusque dispositionis externus character. Postquam auscultando & meditando ab infantibus semul sermo memoriæ impressus fuit, pro modulo facultatum nostrarum internarum eodem in stylo utimur. Id quod in tanta perfectione ac excellentia homini proprium inter res creatas est, cum reliqua, quæcunque etiam sint, animalia incondito tantum inarticulatoque sono aut aliis etiam mutis characteribus externis, quæ dispositiones internas tacite produnt, prædita deprehendantur. Totam sanè naturam characteristicam est, quæ externis figuris, qualitatibus motibusque internas ac latentes virtutes corporum, velut tacito sermone, eloquitur; (*i*) sed, ut hominibus excellentior contigit

B

natu-

(*b*) v. Thomafius in der Ausübung der Sitten Lehre C IX. § 39-44. & C. X. §. 28-32. C. XI. §. 26-29. it. Buddens Phil. Moral. P. I. C. V. §. 29-42.

(*i*) Linguam naturæ, vel signaturam rerum dicere hanc physicam characteristicam Chymici nonnulli & spiritualistæ consueverunt, cui magnam sapientiam, nescio an nimiam, adscribunt ejusdem amatores.

natura, ita præter physiognomica signa, propriasque ejus facies & actiones, sermonis characteribus instructus est, ut vetus etiam Philosophus puerum astantem tacitum ita compellârit: loquere, ut te videam, siquidem voce interprete mentis arcani sensus aperiuntur. Voces ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemcunque tactum respondent, si à motu mentis sint pulsæ, ut, quod Horatius de affectibus dixit, (k) de propensionibus, ex styli habitu patescunt, æque dici queat: Format enim natura prius nos intus ad omnem fortunarum habitum: juvat, aut impellit ad ignem, aut ad humum mœrore gravi deducit & angit. Post effert animi motus interprete lingua.

§. VII.

Præter hæc omnia ars conjectandi ex stylo humanas inclinationes quotidiana patet experientia, quæ veritatis magistra fidem maximopere meretur. Nemo hominum, si experientiam consulas, omnibus styli generibus aut æque aptus est, aut æque delectatur; aliis jocosum succedit, in seriis hærent, sublime alios juvat, sed mediocritatem in scribendo facile amittunt; sententiis nonnulli abundant, quas plurimis nunquam persuadebis; quot non steriles in verbis & cogitationibus sunt, cum aliis voces phrasæque ad nauseam affluant? Exserit se luculenter ejusmodi diversarum mentium dispositio stylique varietas in imitatione aliorum, quam citra genii sui in stylo explorationem promiscue tentare, (l) est ster-

tores. — Rarior paululum de hac materia liber est Oswaldi Crollii, de signaturis internis rerum, seu de vera & viva Anatomia majoris & minoris mundi, in cujus præfat. autor generali, ut in translatione ipsa speciali ratione hoc thema percurrit. Adjectus est ejusdem Basilicis Chymicis edit. Lips. an. 1634.

(k) in Arte Poëtica v. 108. sqq.

(l) Multa ex hac observatione lucem uberiores præbere dictis à Morboffio

stercus velle in aurum mutare, cum sæpe impares sint naturæ vires, & alia voce psittacus alia coturnix loquatur. Non omnes omnia possumus, nec omnibus omnes delectamur, ut sæpe stylum multi laudent, quem alii odio aut contemptu prosequuntur. Quibus Curtii ingeniosa luxuria ad palatum est, Cæsaris aut Nepotis fluida simplicitas vix placebit; quique Statii hyperbolicam pompam æstumant, facile ad Ovidii lenem ac popularem leporem nauseam contrahere poterunt. (m)

§. VIII.

Colligimus exin magna cum efficacia, quod propensiones humanæ, intellectus etiam dispositiones varia ratione afficientes, sermone interno & externo sese manifestent, ac ex stylo conjici ab harum rerum peritis queant. Quod ipsum in praxi tam late patet, ut in omnibus æque linguis cujuscunque in orbe gentis eodem modo perficiatur. Grammatices quidem, id est, vocum, phrasium, syntaxeos ac prosodiæ diversitas maxuma variis in linguis est, sed inutilis labor esset, eandem in rhetoricæ ac eloquentiæ

B 2

stu-

hossio possunt, quæ de exercitatione styli & imitatione in Polyhist. Litt. L. II. Cap. XIII. profert, cum non omnibus omnes auctores stylique formæ possint aut debeant ad imitandum proponi. Secus hætenus in scholis plurimis necessitate magis quam consilio factum, ubi quibuslibet Classicis auctoribus quoslibet astringere juvenes etiam in imitando ob laborum copiam debuerunt. Nec hoc attendit Longinus de sublimi in oratione, Cap. XI. & XII. promiscue ejus imitationem inculcans, cum paucissimis, alias bonis scriptoribus, veram styli sublimitatem exprimere datum sit.

(m) observavit hoc etiam Thomasius in cautelis circa Præcognita Jurisprud. Cap. IX. §. 21. in not. ubi & ex dictionario Critico Bælii artic. Paul Thomas p. 1158. commendat, quem locum egregie etiam huc quadrantem inveni,

studiis variarii linguarum quærere. (n) Qui stylum eloquentem & probum didicit latine formare, eidem neque in Græcis, Gallicis aut Germanicis eadem facultas deesse potest, modo linguas hæc æque calleat & exercitatione reddiderit familiares. Quid ergo impediret, quo minus in omnibus æque de Scriptoribus eorumque propensionibus ex iisdem præceptis fieri iudicium queat, cum ubique styli eloquentia sit uniformis, & quilibet hominum, Trus Rutulusve fuit, iisdem mentis propensionibus intellectusque variationibus exerceatur? Interim non in omnibus linguis boni autores, aut styli elegantioris artifices satis abundant, ex quibus commodum fieri iudicium queat; quod in nostra etiam Germania, cui jam diu vicina Gallia palmam in publica eloquentiæ vernaculæ cultura (o) præripere laboravit, ipsi ingenui Germani non possumus non deplorare. (p)

§. IX.

(n) *conf. Academische Blugheit P. I Cap. III. §. 19. 20. 21. 22. Patet hoc satis ex differentia Grammatices & Rhetorices, ut deponendum omnino pluribus insitum præiudicium sit, ac si eloquentia Latina & vernacula distinctis opus haberent præceptis, librisque pedagogicis.*

(o) *innuitur l'Academie Françoise, collegium sumtibus Ludovici XIII. & auxilio Cardinalis de Richelieu an. 1637. apertum. v. Paschii inventa Nov-antiqua p. 84. seqq. Ex quo nostra ætate prostat: Recueil des haranques, prononcées par Mess. de l'Academie Françoise.*

(p) *oritur bonorum inter Germanos scriptorum penuria non tam ex privatorum hominum negligentia, cum & integris collegiis vernaculam colere multoties institutum fuerit, sed quod in omnibus Facultatibus nimium Latina lingua commendetur, vernacula soli fere exercitio relicta, quodque partem eruditionis in exoticis linguis ponamus, & in plurimis aulis bonorum ex Germanis Scriptorum eloquentiæque patriæ non tam magnum, ut alibi, pretium statuatur.*

§. IX.

Mihi jam sufficit, quod hic, qualiscunque sit, defectus artem ipsam conjiciendarum ex stylo propensionum nullatenus moretur, quod omnis scriptor, probus an pessimus sit, prodere nihilominus mentem suam mentisque constitutiones scribendo ipsa styli natura cogatur. Quid potius momenti & methodi in hac arte sit, luculentius ob oculos capite secundo ponamus.

CAPUT II.

Thema ostendens & commendans.

§. I.

Neminem usque adeo a ratione alienum fore opinor, qui non comparisonem inter propensionum stylique naturam & diversitates essentialis ac perpetuas instituti debere, (q) liquido cernat, ut ab his ad illas ex rite positis principiis possit concludi. Quo in negotio nihil proficeretur, nisi cogitandi intelligendique variantes in nobis rationes, juxta inclinationum varietatem prodeuntes, in consortium vocarem; ex his enim proxime styli species ut filiae promanant, partus autem sequitur ventris conditionem. Habebimus in sequentibus perpetuam harum rerum mixturam, sed talem, qua nec concinnitas ordinis nec thematis evidentia ulla possit ratione obscurari.

§. II.

De propensionum numero nolo contentionem instituere, quarum tres (r) ex liquidis rationibus hoc loco suppono, cum nul-

B 3

10

(q) *prelusi jam jam, sed idea imperfecta, dies enim diem docet & docebis, in der allgemeinen Blugheit zu leben! Cap. III. Tab. IV.*

r) *constare de hoc numero potest ex Thomasi Ausübung der*
Sitz

lo amplius hac de re, ne circuli thematis turbentur, aut scripto aut oratione litigaturus. Omnes equidem sua natura æque ac reliq; mentis vires indifferentiam habent, à natura, vel naturæ potius auctore, optimum in finem mentibus infusæ; ast excessus defectusque in earum exercitio, in quo non nisi beati medium inveniunt, in perniciem rapit, quod in salutem datum fuerat. Absente hac labe, aut potius citra eandem spectatæ, prima amor sensibilis delectationis vel delectationum sensuum externorum, secunda amor proprietatis bonorum externorum, tertia amor honoris aut prærogativæ externæ præ aliis nominari satis concinne poterunt. Junctim si abessent, nullus mentis in hac rerum mortalium scena vigor deprehenderetur, prout & moderate aptisque in objectis adhibitæ non possunt non maximam amoris rationalis, ab ipsis specie haud distinctæ, (f) partem exhibere. O utinam inconcinnitas excessus defectusque non summa in finem hominum vita miscerent, ut vitiorum monstris non omnis nostra salus & societas turbaretur! Amor delectationis, sensuum excedens voluptatem, deficientis insensibilitatem, aut fugam omnis sensualis delectationis peperit: avaritia excedentem amorem proprietatis bonorum externorum, ut mendicitas sive fuga omnis proprietatis eundem deficientem sequitur: & ab amoris honoris excessu ambitio, sicuti ex defectu impudentia s, fuga omnis honoris in vitam humanam emanavit. (z)

§. III.

Sitten-Lehre Cap. VII. collat. Ejusd. Cautel. circa Præcognita Jurisprud. Cap. XIV. §. 52. in not. junge, si lubet, dissertationem meam de temperamentorum propensionumque humanarum connexionem.

(f) *nec enim in emendatis eradicantur, sed juxta rectam rationem temperantur, unde etiam eorundem habitus vitæ morumque juxta easdem alia facie sese extrinsecus representare consueverunt.*

(z) *Sequitur hic Thomasium c. l. §. 54. in not.*

§. III.

Non steriles sunt hæ ipsæ propensiones cum suis excessibus, ac defectibus, igne suo cogitandi facultatem diversimode accendentes, aut langvore deprimentes. Etenim primæ in intellectu ingenii aut facultatis comparandi ideas, secundæ memoriæ sive facultatis retinendi ideas, ac tertiæ iudicii sive facultatis penetrandi ideas, cultura respondet; ex quibus, in moderato ac legitimo usu constitutis, vivax alacritas, accuratio & nervosum acumen magno hominis bono oriretur. (u) Sed dato uno absurdo sequuntur plura, excedentesque ac deficientes propensiones vitium suum in cogitandi etiam rationes larga exundatione transfuderunt. Voluptas luxuriantem imaginationem & phantasiam, & insensibilitas sterilitatem imaginandi sive stupiditatem sibi adjunxit; cum avaritia inconcinnam inordinatamque perceptorum affluentiam, & cum mendicitate sterilitatem perceptorum conjunctam deprehendes; ambitionem autem subtilis scrupulositas, ut impudentiam præsumtuosa superficialitas comitatur. (w)

§. IV.

Mirum est, quanta ex propensionum diversa combinatione morum oriatur diversitas, quam semper & ubiq; analoga excipit facultatum cogitandi variatio. Dantur voluptuoso-avari, voluptuoso-ambitiosi, voluptuoso-ambitioso-avari. Dantur avaro-voluptuosi, avaro-ambitiosi, avaro-voluptuoso-ambitiosi, avaro-ambitioso-voluptuosi. Dantur ambitioso-voluptuosi, ambitioso-avari, ambitioso-voluptuoso-avari, ambitioso-avaro-voluptu-

(u) colligas hinc facultatis cogitandi diversitates æque ac propensiones in se & sua natura esse indifferentes.

(w) de terminis rotundioribus nolui esse nimium sollicitus, cum in rebus, hæctenus fere minus excultis, qualescunque termini sufficere possint, modo sensus exprimatur.

ptuosi. Quæ mixturæ cum excessum propensionum indicent, posses juxta defectuum species easdem instituere collationes, ex quibus insignis morum seges, quæ homines excercet & alterat, tanquam ex equo Trojano progredetur. Tentare facultatum cogitandi consimilem combinationem liceret, si rem in origine facilem, progressu speculationis difficilem reddere animus esset. (x)

§. V.

Cuncta hæctenus in ternarium numerum abeuntia vidimus, omneque styli, qui jam penitus introspectendus, examen ad tria, ex ejusdem materia & forma fluentia, redibit, res scilicet, sermonem ac connexionem. In quibus singulis, quo ordini consulamus, tribus attendere distinctis rebus non tam conveniens quam necessarium videtur. Res styli explicationibus, ætiologiis & illustrationibus, quæ ab amplificandis distinguere non attinet, absolvuntur. Vocum phrasiumque delectus, periodus cum affectu sermonem constituit; connexionem autem vel in interspersis meditationibus, quæ connexio realis audit, vel in vocibus formulisque connectendi, quam verbalem recte diceres, vel citra has omnes in naturali materiarum cohæsione & subordinatione quæri posse, ex natura ejus apparet. Bene hinc colligitur, totum illud, quod stylus continet, distincte conferendum cum propensionibus esse, ut collatis propensionum facultatumque cogitandi naturis cum omnibus styli partibus, quam ex in stylus faciem induat, clarius cernatur.

§. VI.

(x) Satius est hoc loco cujuscunque experientia tam subtilem relinquere deductionem, quam citra praxin nemo satis intelligit. Quinimo miscent sese propensionum facultatumque cogitandi varietates tam diversimode, ut, si longius progredi aris, concinna desint nomina, quibus cujuscunque genuinum Characterem rotunde exprimas, cum rerum major quam nominum copia in natura conspiciatur.

§. VI.

Æquabilitas propensionum & variationum cogitandi non potest non æquabilem quandam temperaturam styli in rebus, sermone & connexione, producere. Amor sensibilis delectationis cum vivaci ingenii alacritate ratione rerum delectabilem & modeste jocosum, ratione sermonis elegantem & affectuosum, ratione connexionis fluidum, ubique autem facilem gratumque stylum necessario dabit. Alia longe facie amor proprietatis bonorum externorum, & respondens accurata memoria, stylum suum formabit, qui rerum respectu probatus autoritate, sermonis respectu accuratus & probus, connexionis respectu popularis, ubique autem naturaliter simplex & communis invenietur. Amori honoris & iudicii acumini dubio procul in rebus profunditas, in sermone concinnitas, atque in connexione brevitatis ubique autem gravitas respondet. Verum enim vero raro nimium exempla sunt eorum, qui propensionibus suis viribusque cogitandi moderate utuntur, quod facit, ut rarius etiam ejusmodi æqualiter temperata styli formæ ab harum rerum peritis legantur. Conservare in vita & stylo perpetuam moderationis harmoniam non nisi virtutis possessoribus datum est, inque sanctis scriptoribus elucescit; (y) quamvis etiam minima in his, cum nemo omni ex parte aut beatus aut virtuosus ante obitum inveniatur, neque morum neque styli censor curare consueverit. Discimus ergo has etiam formas ex paganis, aut quibuscunque ex mera natura scribentibus, quorum præcepta satis bona, exempla non ubique illis similia esse, in sole positum arbitror. (z) C §. VII.

(y) *in his enim styli diversitas non aliunde est, quam quod divinis simus, cujus afflatu scribebant, spiritus, scriptoris cujuscunque ingenio & genere dicendi naturali, quamvis emendato, usus sit, v. Qvensted. System. Theol. P. I. Cap. IV. Sect. II. Qv. IV. hinc illis, qui sacrorum scriptorum temperamenta & naturales propensiones investigare voluerunt, accuratiores conjecturæ longeque verosimiliores potuissent prodire, quam quibus vulgo utuntur.*

(z) *Styli moderatam perfectionem melius Horatius Libro de arte Poë-*

§. VII.

Regnat hic ut ubique inter mortales vitiorum funesta vis, (aa) necessitatem imponens, ut de voluptuosorum avarorum & ambitiosorum stylo, ex natura propensionum characterem peculiarem trahente, prolixius agamus. Excessum ex in productum notabo, quam fieri poterit, specialissime, sed insensibilitatis, mendicitatis & impudentiæ notas in stylo separatim non excutiam; nam vulgo aut eas non curare, aut conjungere cum notis voluptatis avaritiæ & ambitionis in libellis ethicis amant, uti & in stylo, ex iisque dicturus sum, citra magnam difficultatem colligi separatim poterunt.

§. VIII.

Voluptatis igitur luxuriantisque imaginationis & phantasiæ effectus non erit inconspicuus, si sequentia observaveris. In explicata

tica & Boileau in l' art poetique depinxerunt, quam plurimi rhetorum libelli, ex quibus hic ideam suam his verbis in Satyris prodit:

Soyès simple avec art,

Sublime sans orgueil, agreable sans tard.

alter autem ingenue fatetur, non posse styli perfectum formari exemplar, in quo non quedam inveniantur condonanda potius, quam perstringenda.

Non semper ferit, quodcumque minabitur arcus.

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis

Offendar maculis &c. &c.

(aa) *Scite Horatius: Maxima pars vatum (pater, & juvenes patre digni,)*

Decipimur specie recli. Brevis esse laboro,

Obscurus fio. Sectantem leviam, nervi

Deficiunt animique, professus grandia, turget:

Serpit humi tutus nimium, timidusque procella,

Qui variare cupit rem prodigaliter unam,

Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum.

Invitum ducit culpe fuga, sic arit arte.

plicatione rerum prolixitas non deerit, licet soliditas à perspicacissimo ne cerni quidem queat; ætiologias probabiles & fucos se commendantes afferre fere solenne est. Si illustranda oratio, comparata, similia & dissimilia, exempla prolixa, joci faciles, & non raro liberiores, argutis flosculis circumfluunt. Materia styli universi imaginativa & sensualis, voces autem & phrasæ abundantes luxuriantesque, & exin non raro rerum inanes observantur. (bb) Repetitionibus & Synonimiis, nec non metaphoris dediti ejusmodi scriptores sunt. Periodi prolixo ambitu compositæ bimembres trimembres & sic porro formantur. In affectibus multi sunt & vehementiores, exclamationibus, exaggerationibus, apostrophis, & histrionicis fictionibus mirum quantum indulgentes. Forma tota styli luxurians est & excedens. Connectiones quidem faciles sunt, sed vocibus formulisque connectendi prolixiores, aut per similitudinem & dissimilitudinem rerum continuatæ. Collectis vero omnibus, quæ stylum voluptuosorum peculiarem reddunt, luxurians & prolixus dici poterit, qui Semi-poeticus, Italicus, & ad fabularum Romanensium genium accedens à plurimis habetur.

§. IX.

Alium avaritia genium exhibet, inordinata perceptorum affluentia imbutum, cujus explicationes in stylo formando periphrasticae sunt, multis verbis nihil ut plurimum novi dicentes. Ætiologiae abundant, in numero enim pretium ponunt, sed su-

C 2

per-

(bb) *Sunt versus inopes rerum nugæque canora. Exemplum ejusmodi luxuriantis, sed inopis rerum styli affert Boileau l' art poetique Chant premier p. m. 101. concludendo:*

*Fuyes de ces auteurs l'abondance sterile,
Et ne vous charges point d'un detail inutile.
Tout ce qu'on dit de trop est fade & rebuttant:
L'esprit rassacié le rejette à l'instant:
Qui ne sçait se borner, ne sçeut jamais écrire, &c.*

perficiariæ & interdum absurda, præjudicio autoritatis & utilitatis innixæ, oculatioribus apparent. Exemplis & testimoniis, maxime veterum, nec non prolixioribus locis communibus, juxta locos communes, per modum digressionum congestis, tales scriptores sibi placent, ut materia styli tota jure suo trita & obsoleta dicatur. In vocibus phrasibusque uniformes, simplices, & in variationibus deficientes sunt; (cc) sed periodi illis prolixiores licet inæquales, abruptæ & male cohærentes arrident. Quam inepti & adlabundi in affectibus sint, promiscuo aut excessu aut defectu peccantes, in propatulo est, licet figurarum Grammaticarum non infrequentes fiant imitatores. Forma styli exin arida, uniformis & invariata, non tamen sine obscuritate prodit. Meditationibus connectere ultra vires est, sed particulis formulisque connexionum tritissimis & consuetis abundant. Stylus exin simplex, sed sollicitus timidusque exoritur, quem si semi-absurdum & inordinatum diceres, vix avaro scriptori faceres injuriam.

§. X.

Quicquid tibi de ejusmodi scriptore videatur, certum tamen est, ambitiosum, quocum subtilis scrupulositas cohæret, longe augustiorem styli formam producere, quæ non raro majestatem quandam mentitur. Sunt ipsi breves sed profundæ explicationes, quæ rem facile exhauriunt; ætiologias autem scrupulosa inventio reddit paululum intricatiores. Objectiones & contraria, meditationes, consuetaria, argutiæ remotiores, reflexionesque difficiliore illustrant stylum, sed obscurant etiam interdum. Materia scribendi loquendique intellectualis & inusitata maximopere amatur. In vocibus & phrasibus ellypsis frequens est. Metonymicis & Synecdochicis

ex-

(cc) v. Boileau c. l. p. 101.

Voules vous du public mériter les amours ?

Sans cesse en écrivant variés vos discours.

Un stile trop égal & toujours uniforme

En vain brille à nos yeux, il faut qu'il nous endorme.

On lit peu ces auteurs, nés pour nous ennuyer,

Qui toujours sur un ton semblent psalmodier.

expressionibus sæpe dediti sunt ambitiosi, metaphoraë autem eorundem plus subtilitatis quam nativæ habent suavitatis. Concisi in periodis etiam compositis, ferii & sæpe indignabundi in affectu cum quadam verborum acrimonia, integram styli formam brevem formant & duriusculam. (dd) Connexio per meditationes aut absque ullis adminiculis per naturalem materiarum subordinationem deducta ipsis familiaris est, ut stylus merito concisus, sed elatus, (ee) nominetur.

§. XI.

Quod si in aliquo scriptore antecedentes characteres styli constanter invenias, tuto respondentem in mente propensionem exin colligere licebit; sed nullibi tam palpabiles erunt, nisi regnans propensio, præ aliis multum eminens, dominium adhuc in scribente exerceat. Nunquam tamen nativum scribendi characterem, quisquis sit, mutabit penitus, licet aut arte, aut alterius cujusdem propensionis & connexæ cogitandi varietatis mixtura temperetur. Hancque temperaturam, eminente tamen unius propensionis characterem præ altero, vel maxime attendere juvat, quamdiu certum est, omnium hominum mentes omnibus tribus propensionibus, ut ex superioribus dictis satis intelligendum, (ff) juxta diversos gradus combinatis, gaudere. Ejusmodi ergo combinationes, in censura styli & propensionum frequentissime obvias, accurate indagare, hoc opus, hic labor est; in quo conjecturis, licet principia huc usque recensita, si characteres junctim sumantur, satis firma sint, amplissimus campus relictus est. Sunt quippe propensiones voluntatis sæpe sibi invicem tam proxime junctæ, ut dubites, cui primas concedere debeas, & tunc etiam styli facies in suis characteribus usque adeo mixta est, ut cujusnam propensionis typus emineat, non nisi à sagacissimis, diuque hac in arte versatis, cernatur.

§. XII.

Oritur ex hac conjunctione duplex maxime observanda styli variatio, quod scilicet quarundam propensionum characteres invicem mixti elegantem satis imo perfectam orationis faciem componere videantur, aliarum

C 3

autem

(dd) asperitas non raro suboritur, ut monito opus habeant:

le vers, le mieux rempli, la plus noble pensée

ne peut plaire à l'esprit, quand l'oreille est blessée.

(ee) maxime si avaritia misceatur, tunc ejusmodi scriptor projicit ampullas & sesquipedalia verba.

(ff) *huj. Cap. §. 4.*

autem manifesto prodant absurdam inconcinnitatem. Junge luxuriantem in rebus ac verbis prolixitatem cum conciso & elatiore styli habitu, & moderatam exhibebis temperatamque orationem; sed compone simplicis solliciti timidique faciem cum luxuriante & profusa, sique placet, speciales utriusque characteres specialius compara, atque ridiculus stylus oriatur. Inque tanta propensionum stylique varietate peculiaribus utriusque generis mixturis peculiare semper characteres easque specificas ponere velle, majoris ausus quam successus negotium videtur. Voluptuoso - avari stylus oratorius forsan dici posset, qualem Cicero (gg) exhibet, cujus luxuria rerum verborumque, ac inutiles repetitiones diversis semper phrasibus factæ, aliaque plura ad minimum voluptatem ejus eminentem satis aperiunt. Voluptuoso - ambitiosi character floridus forsan & sententiosus non inepte diceretur, (hh) quem Curtii abundantes elegantia exhibent. Avaro-voluptuosi rationem scribendi Comicam (burlesque) mea pace nominares, in Patris Abrahami à S. Clara & similibus scriptis apparentem. (ii) Avaro - ambitiosus stylum format austerum & ina-

(gg) de Ciceronis vorbosa prolixitate, rerum vacua v. Parrhasiana T. I. p. 222. Manutii & Mureti epistola inanem saepe prolixitatem ostendunt. Inter Poetas placet vel maxime buc referre mirabile caput, P. S. Beronicium, cujus longiores periodi, descriptiones nimia, fictiones rerum saepe inanes, genium ejus manifestant. Scripta miri scriptoris adhuc residua edidit P. Rabbus Roteredami an. 1691. addiditque fatum ejus singulare, quod in vita & morte expertus est, quæ lucem jam dictis accendere majorem poterunt.

(hh) habent ut plurimum simile quid Gallici scriptores, ut forsan Gallicus dici, si per nationes placeret stylum notare, potuisset. Suo jure buc Molierius pertinet, quo de confer. Boileau l'art poétique Chant. III. p. m. 123. Talis stylus temperatus historiis scribendis aptissimus habetur, quod collatis styli historici requisitis, à Luciano peculiari scripto, quomodo historia scribenda sit (opp. T. II. p. m. 361. max. p. 413. sq.) congestis, videre licet.

(ii) intelligo heic loci per stylum Comicum talem, qualem vulgares nostri Comici exhibere consueverunt, ridiculum, ex similibus allegoriis male consarcinatis & lepide applicatis non sine inani affectu compositum. v. de P. Abrahami à S. Clara stylo Christ. Thomasi Monats-Gespräche T. I. p. 4--24. Oriuntur ex in non raro rerum

inaniter-obscurum, (*kk*) qui Hispanicus vulgo audit. Ambitioso-voluptuoso stylum profundum & sublimem tribuerem, (*ll*) qualem in Tacito cernere licet. Demum ad ambitioso-avarum Trafonicus stylus pertinet, (*mm*) facile noscendus, de quibus tamen omnibus, haecenus dictis characteribus ita censeo, ut non omnes extra dubitationem constitutos arbitrer, sed rogitem potius æquum lectorem, velit in his posterioribus meis meditationibus locum adhuc concedere.

§. XIII.

Patet interim ex quibus characteribus in stylo repertis ad propensiones in scriptoribus concludendum sit, licet applicatio non possit non hinc & inde aliquam offendere difficultatem; quam tamen sequentium cautelarum observantia dubio procul reddet faciliorem. Primo enim loco observandum, omne negotium minus succedere, nisi signa cujuscunque propensionis junctim sumantur, & quam fieri potest, sæpius in scripto quærantur. Dein vix felicem eventum is reperiet, qui scriptum auctoris, cujus linguam non exacte satis callet, examinare laborabit, quid enim arte emendatum, quid naturale & sic porro sit, ipsi manebit obscurum. Attendere quippe morum ex stylo scrutator ad ea debet, in quibus scriptor vel maxime bonus styli naturalem aut excessum, aut defectum arte, cujus & hic magna vis est, (*nn*) emendare didicit, id quod tamen solidi eloquentiæ studii habi-

tuni

descriptiones, imagini similes, quam Horatius circa initium libri de arte poetica descripsit.

- (*kk*) referrem fere huc affectatam Lipsii, maxime in Epistolis, brevitatem, rebus alicujus momenti sæpiissime destitutam. Ex qua judicium fieri poterit, Lipsium rebus aliorum colligendis & cum judicio digerendis aptissimum fuisse.
- (*ll*) Plinius in epistolis similem exhibet, paucis verbis multa dicentem. Pervellem Grotio in suis Annalibus inter hujus styli scriptores locum concedere, sed affectatus potius ejusmodi stylus est, quam expressus, nimio Tacitum imitandi studio, ut opinor. Prodeunt hinc non raro affectati difficilesque joci, ut in scriptis de Voiture videndum.
- (*mm*) non infrequenter hujus styli exempla in Statio Papinio, sæpe aucti elatione haud leviter impingente. v. Masenii Palastram eloquent. Ligat. Lib. I. Cap. 5. 6. 7.
- (*nn*) quid ars in stylo possit, maximo labore Demosthenes expertus est, ut constat ex Rapini Comparatione Demosthenis & Ciceronis.

24 DE CONJECT. HOMINUM PROPENS. EX STYLO.

tum propriamque emendationem in judicante requirit, nec juvat plura heic loci monuisse. Ex quo simul notum esse potest, illum, qui talem tentat explorationem, à propria incipere debere, ut styli naturalem & artificialem rationem, & in quantum corrigi natura queat, viva ipsi constet experientia. Nec quenquam offendat, quæ vulgo de natura styli sublimis, mediocris & tenuis circumferuntur, nam & maximam partem non coherent, & illa diversitas ex affectu & rebus diversis, de quibus scribimus, aut etiam ex personis diversis, quorum characterem exprimimus, ut in Comicis videndum, prodiens, accidentalis est respectu propensionum humanarum, (oo) nostri autem characteres styli cum propensionibus naturali eoque perpetuo nexu conjunguntur. §. XIV.

Cuicumque studium emendandi stylum, eamque ad quandam eloquentiæ dignitatem evehere, curæ cordique est, commendanda hæc, pertractata hæctenus, conjiciendarum ex stylo propensionum ars erit. Ex hac enim partim decorum oratorium, partim perfectio styli genuina, partim numerus Oratorius, partim in fucatis similibus & allegoriis, verborum phaleris, excessuque figurarum rhetoricarum frustra quæsita elegantia in nobis & aliis liquido cognoscitur, stylique moderati & medii pretium optime constat. Quam utile sit eorum, cum quibus litterarum commercia abemus, licet facie & conversatione interdum ignotorum, propensiones ex epistolis, aut demortuorum mores & respondentia præjudicia ex litterariis eorum monumentis hujus artis beneficio collegisse, experientia probabit. Delectatione autem carere, si collatis signis physiognomicis, ex probis illustrium virorum picturis desumptis, cum signis styli moralibus illorum mentium temperamenta conjecturis assequimur, nemo sibi persuadebit, nisi omnis ex cognitione hominum delectationis plane ignarus. Quæ in hac dissertatone allata sunt, nondum elaboratæ artis implere numeros satis novi, quippe ab eo scripta, qui sui etiam styli modestam juxta datos characteres censuram, à bonis viris in vitam, ferre didicit, seque hujus prudentiæ non magistrum sed discipulum ingenue profiteretur.

TANTUM.

(oo) licet verum sublime felicius ab ambizioso - voluptuosis, aut voluptuoso-ambitiosis, quam alia ratione temperatis, oriatur. Longinus de sublimi, quem librum Boileau in linguam Gallicam transfudit, ipse videtur veri sublimis ideam ignorasse, conf. Chr. Thomasius Caut. circa Præcognita Jurisprud. Cap. IX. §. 8. in not.

